PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS
Barnſtorff/
Med. D. P. P. & Poliater,
CHRISTUM
PROPTER JUSTIFI-CATIONEM NOSTRAM
RESUSCITATUM,
Religioſâ meditatione conſiderandum
exhibet
Eòq; Cives Academicos, qvâ par eſt authoritate
& humanitate hortatur.

Roſtochii, Typis JOH. WEPPLINGII,
Univerſ. Typogr.

NOn ſine inſigni animi gaudio, lætisqve lingvæ jubilis, jam inde ab Apoſtolorum tempore in Eccleſiâ Chriſti, Paſchatos Feſtum celebratum eſſe, nemo affirmare dubitabit, qvi Reſurrectionem dominicam omnis ſolatii ſpiritualis fontem, noſtræq; ſpei præcipuũ fundamentum eſſe intellexerit. Jpſosq́; ſanctos Dei Apoſtolos in eo præiviſſe fideles reliqvos, atq́; ex omnibus patrii ritûs feſtis, qvorum ſe vinculis paulatim exuebant, hoc ſibi chariſſimum commendatiſſimumq; habuiſſe (ut cum Theologo noſtrate celeberrimo loqvar) tam non eſt dubium, qvàm certum, illis auctoribus dominicum deberi diem qvâq; hebdomade ſacrum, tanqvam perpetuum reſurrectionis Chriſti feſtũ, κυριακὴν ἡμέραν ideo appellatum; indeq; rectè colligi, annuam eos memoriam ejus beneficii haut neglexiſſe, qvi ſeptimo qvoq; die eandem publicè renovabant. Ut ergo nos etiam, ejusdem Eccleſiæ Matris filii, hoc tempore, qvod poſt longum paſſionis Chriſti luctum in publicis cœtibus reſonantem, nunc illuxit, lætemur & exultemus, id qvidem pietas jubet, id incomparabilia nobis parta beneficia poſcunt. Plurima certè divinæ laudis, noſtræq; lætitiæ argumenta ſe offerunt, qvæ ſi excutere paululum piâ meditatione placuerit, efficaciſſimè animum movere, omnesqve triſtitiæ, de doloribus morteq́; acerbiſſimâ Salvatoris, ut & peccatis noſtris conceptæ nebulas pellere facilè poterunt. Audiamus vocem magni Apoſtoli, de nullo facilè argu-

mento

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700 (39)

mento alio, majori cum animi gaudio, verborumq; interioris fiduciæ de certiſſimâ ſalute teſtium apparatu ſermocinantem: *Ubi tua*, inqvit 1. Cor. 15. *ô mors victoria? ubi tuus ô ſepulchrum aculeus? DEO ſit gratia qvi nobis dat victoriam per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Et Rom. 8. *Qvis intentabit crimina adverſùs electos Dei? Deus eſt qvi juſtificat. Qvis eſt qvi condemnet? Chriſtus is eſt qvi mortuus eſt, imo verò qvi etiam excitatus eſt â mortuis.* Præprimis notari merentur ejusdem Epiſtolæ C. 4. verba ſeqventia, tantæ fiduciæ cauſam continentia: *Chrîſtus propter peccata noſtra traditus, propter juſtificationem noſtram reſuſcitatus eſt.* Ergone juſtificari coram Deo, ipſamq; ſic æternam conſeqvi ſalutem juſtificationi annexam haut valuiſſumus, nî reſurrexiſſet Chriſtus? Jta eſt. Non promeruit qvidem nobis Chriſtus reſurrectione ſuâ juſtitiam, nec enim reſurgendo præſtitit, qvod præſtandum, aut pertulit qvippiam qvod patiendo ferendum nobis erat. Meritum ejus morte conſummatum fuiſſe, exclamatio in cruce, *conſummatum eſt*, confirmavit; cum nec obedientia ſervilis ultra mortem crucis eſſet extendenda. Attamen nec fides noſtra qvæ ad juſtificationem reqviritur, ἀμεταπτώτως certa eſſe, nec â Chriſto applicari nobis juſtitia potuiſſet, niſi Chriſtus â mortuis reſuſcitatus eſſet. Non ſufficit animæ fideli in tentationum anguſtiis hærenti, ſi qvidem percipiat, Dei Filium ſemet obtuliſſe, piacularem pro peccatis totius humani generis hoſtiam, inter ærumnas & cruciatûs inenarrabiles ſangvinem fudiſſe innocentem, legemqve impleviſſe; ſed ſcire inſuper & confirmari deſiderat, an etiam Pater cœleſtis id omne ratum habuerit, præſtitamq; ſic ſatisfactionem acceptaverit, ut nihil

â fidelibus ultra exigere velit. Cui rei inſervit qvàm maximè glorioſa reſuſcitatio Salvatoris. Eo ipſo enim cœleſtis Pater, ceu publico documento teſtatum facere voluit, nunc debitum omne, qvo tenebatur humanum genus eſſe ſolutum, ſiqvidem ejus gratiâ Chriſtus tot doloribus ipſiqve tandem morti fuerat ſubjectus, æternamq́; juſtitiam reparatam, nihilq; reſtare amplius qvàm ut fide qværatur ea & apprehendatur. Non ſanè conſtitiſſet aliàs, mortem â Chriſto ſuperatam eſſe, qvin Eundem â morte potius oppreſſum atqve devictum eſſe veroſimile fuiſſet. Qvare ſemet Dei filium, juxta dictum Apoſtoli per reſurrectionem à mortuis potenter demonſtavit, Rom. 1. Applicatam verò etiam nobis velle Chriſtum juſtitiam ſuam, ex reſurrectione itidem certi reddimur: non enim alio fine toties iteratis apparitionibus ſemet vivum exhibuit, qvàm ut juxta reſurrectionis ſuæ demonſtrationem, pavidas ſolaretur animas, illisq; Deum reconciliatum, pacemq́; ſpiritualem ac æternam annunciaret. Qvo etiam referendum, â reſurrectione mox inſtitutum verbi miniſterium, qvo mediante offerri omni creaturæ, fidelibusq; applicari ad ſalutem & communicari beneficia per mortem ſuam parta, juſtitiamqve præprimis voluit. Unde iterum Apoſtolus 1. Cor. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis etiam eſt fides veſtra.* Recteqve *Theophylactus: Si moriens reſurgere neqviviſſet, neq; peccatum ſublatum fuiſſet, neq; mors ipſa deleta, & noſtra demum inanis & ſupervacanea fuiſſet prædicatio, & fides veſtra inanior argueretur.* Jn hoc igitur gloriamur potiſſimùm, qvod propter juſtificationem noſtram reſuſcitatum ſciamus Jeſum, de hoc maximopere gaudemus, tanqvam bene-

ficio

ficio reſurrectionis Chriſti ſummo atqve primario. Plura ſunt qvæ ex hoc fonte in nos promanant bona, nunqvam ſatis æſtimanda atqve deprædicanda. Reſurrexit Jlle, & nos reſurgemus aliqvando. *Qvod ſi Chriſtus prædicatur à mortuis reſurrexiſſe, qvomodo dicunt qvidam inter vos, non eſſe mortuorum reſurrectionem? Etenim ſi mortui non reſurgunt, ne Chriſtus qvidem reſurrexit*, inqvit Apoſtolus, loco ex Epiſt. ad Cor. ſupra allegato. Reſurgemus vi meriti & reſurrectionis Ejus. Non fruſtra reſurrectionem Chriſti & noſtram Scriptura S. connectit, qvam connexionem etiam Jobus urget Cap. 19. Membra unius corporis myſtici ſumus, cujus caput Chriſtus eſt: ſi ergo caput reſurrexit, membra certè in morte manere non poterunt. Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 65. in princ: *Caput Eccleſiæ*, ait, *Chriſtus eſt, membra ejus Eccleſia. Qvod præceſſit in capite ſeqvetur in corpore.* Natantium ſi caput videamus aqvis ſupereminere, membra eorum reliqva, licet non compareant, vivere tamen ac praditura non addubitamus: ſic ubi caput noſtrum eminere in gloriâ Patris, fidei oculis cernimus, de membrorum qvoq; vitâ qvam expectamus in reſurrectione, addubitare non eſt integrum. Hæc fides Chriſtianorum propria, hæc piorum ſpes unica eſt, uti iterum eleganter Auguſtinus jam jam memoratus ſcribit in Pſalm. 101. Conc. 2. *Non eſt laus fidei Chriſtianorum, qvia credunt mortuum Chriſtum, ſed qvia credunt reſurrexiſſe Chriſtum. Nam mortuum & paganus credit, & ſibi pro crimine objicit, qvia in mortuum credidiſti. Qvæ igitur laus tua? Credere, reſurrexiſſe Chriſtum, & ſperare, te ſurrecturum eſſe per Chriſtum; hæc eſt laus fidei.* Reſurrexit Chriſtus, & nos reſurgemus ad vitam be-

atam æternam. O quantum beneficium! Surgent in die noviſſimo etiam impii. Jneptiq; ſunt Judæi qui ad pios tantum reſurrectionem reſtringunt, & iſtos qvidem primum reſurrecturos eſſe credunt, qvi in benedictâ terrâ Canaan ſepulti jacent, qvod ex deſiderio qvorundam Patriarcharum colligere volunt; alios autem extra Canaan per occultos terræ meatus ingenti cum cruciatu, usqve ad eandem devolvendos eſſe; impiorum verò reſurrectionem rotundè negant. Qvàm vellent id impii! Prodibunt tamen nolentes volentes, ad imperium excitantis Dei. Non autem vi meriti Chriſti ejusdemqve reſurrectionis ad æternam beatitudinem ê ſepulchris ſuis prodibunt, ſed vi decreti potius divini, juſtitiæq; vindicativæ, ad damnationem æternam: ſiqvidem juſtum hoc judicium divinum reſurrectionem corporis impiorum ad æterna ſupplicia reqviſiviſſet, etiamſi Chriſtus nunqvam incarnatus fuiſſet. Jllud autem qvantumcunq; bonum, ex reſurrectione Servatoris in nos redundans, cedit nihilominus ſupra nominato juſtificationis beneficio. Qvos enim juſtificat hos Deus ſalvat, nec alia ad æternam damnationem reſurrectionis cauſa impiis eſt, qvàm qvod fide haut juſtificati, adeoqve increduli decedunt. Qvid ergo prodeſſet reſurrectio ſine juſtitia? Jngens etiam pacis ſpiritualis bonum eſt, qvam ceu fructum reſurrectioni Salvatoris deberi teſtantur verba poſt reſurrectionem aliqvoties ab ipſo repetita: *Pax vobis.* Qvæ non more Hebræis ſveto ſalutantis ſolùm, ſed imprimis pacem cœleſtem efficaciter offerentis atqve communicantis ſunt. Hæc tamen non niſi antecedentem juſtificationem ſeqvitur, juſtificati enim pacem habemus cum Deo. Su-

perſe-

perſedeo comparationem reliqvorum reſurrectionis fructuum cum juſtitiâ pluribus perſeqvi. Gaudete ergo, iterumqve dico, gaudete.

Reſultet æther laudibus,
Mundus triumphans jubilet,
Infernus horrens infremat:
Rex ille dum fortiſſimus
De mortis inferno ſpecu
Victor triumphat, & ſuo
Mortem ſepulchro funerat.

Tuqve

Salve redux ex hoſtium victoria
O liberator generis humani potens!
Lætamur omnes intimis præcordiis,
Cum mentibus noſtris recurſat inclytus
Tuus Triumphus, qvem reportaſti. ---

Huic enim in acceptis ferenda major omni præconio noſtro juſtitia eſt. Sectemur autem hanc fide, cui imputare eandem Deo placuit, eoqve cum D. Paulo annitamur, *ut in Chriſto inveniamur, non habentes noſtram juſtitiam qvæ eſt ex lege, ſed eam qvæ eſt per fidem Chriſti, id eſt juſtitiam qvæ eſt ex Deo per fidem. Ut cognoſcamus eum, & vim reſurrectionis ejus.* Phil. 3. Neq; tamen etiam operum juſtitiam negligamus, nam & ideo reſurrexit Chriſtus, ut reſurrectio ejus incitamentum & cauſa nobis eſſet ſpiritualis à peccato reſurrectionis vitæq; renovationis. *Qvemadmodum ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis, in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ ambulemus* Rom. 6. Agnoſcamus ergo ante omnia injuſtitiam noſtram qvæ naturá altis defixa radicibus in corde noſtro hæret, vitaq; improbâ indies magis magisq;

giſq; accumulatur. Etenim qvi ſibimet ipſi videtur juſtus, deqve vitæ ſuæ innocentiâ gloriatur, eum juſtitiæ Chriſti fieri participem poſſe non putandum. Obtinet & hic illud: *intus exiſtens prohibet alienum*, qvod per parabolam de tumido ac ſuperciliosſo illo Phariſæo, vivis depingere coloribus Servator voluit. Apprehendamus certiſſimâ fiducia Chriſti meritum, omni tempore, omnibus hominibus ad juſtitiam & ſalutem ſufficientiſſimum, fideiq; genuinos fructûs oſtendamus. Hæc eſt reſurrectio illa prima cujus facti participes beati prædicantur. Modum ejus ex ipſa Chriſti reſurrectione commodiſſimè addiſcere dabitur. Non is diu ſe detineri patiebatur in ſepulchro, ſed tertio die poſt mortem & qvidem primo mane ſurgebat. Sic non differenda eſt vitæ noſtræ emendatio de die in diem, ſed maturanda, inprimis cum tempus gratiæ, qvô accepta Deo pietatis officia ſunt, elabatur facilè. Linteamina qvibus erat involutus Chriſtus relinqvebat in ſepulchro, ipſe verò totus prodibat. Ita nos involucra veteris Adami Peccaminoſa deponamus, & reſurgamus toti, renovati in omnibus animæ corporiſq; viribus. Non remorabatur reſurgens Chriſtus cuſtodes ad monumentum excubantes, lapidiſq; impoſiti molem, ſed liber egrediebatur. Ita noſtrum eſt non æſtimare mundi ejuſq; ſectatorum odia, contemptum, machinationes, perſecutiones, pericula, ſed omnibus iſtis antehabere Dei voluntatem & gratiam. Chriſtus ita reſurrexit, ut non moriatur denuo, nec mors ultra dominabitur illi. Nobis etiam ita ſurgendum eſt ſpiritualitr, ut peccati mortem omni ſtudio imposterum devitemus. Hoc ſi egerimus, tum demum gaudere conſtanter in hâc atq; futurâ vitâ, de reſurrectione Chriſti, propter juſtitiam noſtrã reſuſcitati poterimus.

Publicatum Sub Sigillo RECTORALI ipſo Feſto Paſchatos A. M DC XC II.